

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

xime D. Consule Pfarrero & reliquis tibi familiariter notis. Scripsissem ego ipsis quoque, sed ne posset incidere aliqua suspicio, equitem hunc eam ob causam ablegatum, judicavi consultius, ad eum, qui ministerio & officio mihi junctus est, in hoc casu confugere. De tua erga me benevolentia non dubito. Ideo brevior sum in petendo: Plane enim mihi persuasi, te Dominis meis & mihi hac in parte libenter & animo prompto gratificaturum. De reliquis omnibus D. Flinnerus, quem hesterno die mecum retinui, quique denuo ad nos revertetur, confectis negociis Launigæ & Augustæ, coram tecum conferet. Tu interea, sicuti Episcopum decet, diligenter vigila, ut perniciosus Grammaticorum vestrorum error aliquando Magistratus vestri autoritate reprimatur & damnetur. Uxor mea gravida & partui vicina, te tuamque reverenter & officiose salutatur. Bene vale: Et, quod denuo serio peto, ad petitionem meam respondeo: Utinam concederetur mihi occasio, tecum aliquid coram colloquendi & conferendi. Ulmæ raptim 18. Julii Ao. 62. hora 8. antemeridiana,

T. humanitatem reverenter colens

Rabus, D.

XXXIII.

SIn Christo. Reverende Domine Doctor. Si Thermæ, ut spero, tibi fuerint salutares, congratulor tibi & ago tuo, imò & ecclesiæ nomine, D. DE O nostro gratias. Accepi tuas literas, unà cum fasciculo, quem pro pertabellarii festinationem nondum explicui. Quod igitur peris, ut certum tibi locum, ac diem significem, quo me convenias, equidem statueram, ipse te in Thermis invisere, postquam audieram, te eo profectum, sed alia atque alia negotia ita inciderunt, ut jam quatuor hebdomadis non fuerim domi, ubi mea familia commoratur. Nec adhuc est negociorum finis. D. bo tamen, quam possum, operam, ut die 21. Augusti veniam vesperi ad Hirsaugiam, ac si fieri potest, unà mecum adducam Doctorem Jacobum Andreæ. Quare, si ita tibi videbitur, potes etiam eo die ad Hirsaugiam profectionem suscipere. Credo eum locum non distare à Thermis, nisi itinere trium horarum. Interea, si licuerit, inspiciam, quæ ad me misisti. Bene ac feliciter vale. Tubingæ, die 14. Augusti, Anno 1562.

Jo. Brentius.

XXXIV.

SD. Reverende & ornatissime Domine Doctor. Credo te moleste ferre moram, quæ intercedit editioni scripti de cœna Domini, quæ mihi quoque

que molesta est eo potissimum nomine, quod multorum epistolis flagellor & flagitor, & quodammodo tergiversari judicor, quod tamdiu editio differtur. Sed me occupationum aliarum continuitas impedit hætenus, quæ quamvis serio instituta, sæpe labores interrumpunt. Heri tamen, quod factum sit, & commodum Ecclesiæ, partem illius scripti tradidi typographo, cujus tamen prælum ita est nunc occupatum aliis operibus finiendis, ut post mercatum demum hunc autumnalem Lipsicum promiserit inchoationem impressionis. Spero autem circa Martini editum iri, & tunc mitti poterit Francofurtum, dum adhuc Electores illic hærebunt, quos non est verisimile, tam cito illinc discessuros. Patienter igitur feres hanc moram, & orabis mecum Deum ardentem, ut hæc à me suscepta scriptio iussu eorum, quorum auctoritatem defugere non debui, nec detrectare potui, prosit multis ad confirmationem animorum in vera sententia, & noceat nemini. Utinam licuisset mihi cum primis tibi tuique similibus magno iudicio præditis perlegendum & corrigendum exhibere. Neque enim mihi in hac gravissima causa aliquid arrego, & jam coram quasi intueor fremirus eorum, qui ægrè ferentes suam illam rationi plausibilem sententiam impugnari, gregatim impetum in me facient, quem frater filii Dei protectione & veritatis robore sustinebo patientia, & si omnino licebit, silentio. Deo te & Ecclesiam tuam commendo. Quod tu vicissim facies. Datæ raptim festo Michaelis. 1562.

Paulus Eberus.



XXXV.

S D. Reverende & clarissime vir, patrone colende. Dei beneficio medio-
 cris est Ecclesiarum in toto hoc litore Baltico tranquillitas, & in vera do-
 ctina, Lutheri ministerio illustrata, consensus. Nec dubito, vestræ etiam Ec-
 clesiæ concordiam & quietem pristinam brevi restitutum iri. Academiae nos-
 træ *ἡμετέρας* qualemcunque ex adjunctis pagellis cognosces. Studiosi Lin-
 davienteses, quos proximis literis mihi commendasti, suam in studiis diligen-
 tiam & morum modestiam, omnibus bonis in hac schola probant. Singulis
 hebdomadis semel ad Examen veniunt, in quo summam doctrinæ Christianæ
 & cæterarum artium, in quibus discendis versantur, mihi sciscitanti reci-
 tant. Livoniam inter se partiti sunt Rex Sueciæ, Rutherus, & Polonus. Epi-
 scopatum Osiliensem, Magnus frater regis Daniæ, Rigensem Christophorus,
 mei Principis Mechelburgensis frater, tenebunt. Inter Regem Sueciæ & Da-
 niæ pax publicè promulgata est. Te oro, ut de statu vestræ Ecclesiæ & vici-
 næ

T

næ